



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesia Cathedrali Cæsaravgvstæ. Ioannis Baptistæ Tvrricelli Responsum

Torricelli, Giovanni Battista

Romae, 1656

Num 1. Primum argumentum pro Cathedralitate Ecclesiae del Pilar ex eius erectione deducitur, & sede in ea à Iacobo Apostolo posita. Quod comprobatur exemplo Ecclesiarum quas Ioannes Apostolus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13380

labor congefferit referre, nec tempus suppetit, nec operæ pretium duco. Quibus ergo potissimum fundamentis stet vtriusque causæ explicabo, ea præcipuè expendens quibus *Sac. Rot. in decis. 353. par. 5. recent. ad fauorem Ecclesiæ del Pilar Respondit*, nonnullaquè recenti opusculo à P. Ioanne Baptista Lezana erudito viro ingeniosè excitata.

N.1. Ecclesiam B. M. V. del Pilar, quæ summa religione & Cæsaraugustæ, & in vniuersa Hispania olim colleur, primo sæculi nostræ sæculi Deiparæ Virginis iussu à Iacobo Apostolo erectam, eiusque curam Theodoro Presbytero demandatam, historia in fine prætensi Codicis moralium Sancti Gregorij descripta memorat; cuius traditionem, quæ antiqua veneratione populorum animis insedit, grauissimi inter Hispanos auctores prosequuti sunt, *qui in d. decis. 353. par. 5. recent. sub num. 20. & duobus seqq. referuntur.*

Ex auctoritate huius historiæ P. Lezana in libro, cui titulus est de Cathedralitate Ecclesiæ S. Mariæ del Pilar cap. 2. à numer. 20. primum desumit argumentum ad probandam Cathedralitatem eiusdem Ecclesiæ; cum enim B. Iacobus Episcopus esset, & quidem totius orbis Episcopus, quemadmodum omnes Apostolos fuisse consentiunt *Suarez. de fide disput. 10. sect. 1. num. 1. & seqq. & Card. Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 11.* eundem Apostolum, & Cæsaraugustanæ Ecclesiæ, & aliarum Hispaniæ Ecclesiarum, quas erexit, Episcopum fuisse: Et Ecclesias eius filias, & in quibus sedit, Episcopales, seu Cathedrales extitisse, inferri videtur: pro ut etiã Ioannes Apostolus Ephesinæ Ecclesiæ, in qua sedit, Episcopus dicitur: nec Ephesinam, aut alias Asiæ Ecclesias, quas omnes ab eo fundatas, & erectas testatur Diuus Hieronymus de Scriptor. Ecclesiasticis, Episcopales fuisse, quispiam inficias eat.

N.2. Secundum & potissimum pro hac parte argumentum ex plurimum auctorum testimonio deducitur quos recenset *d. decisio 353. sub num. 22. vers. quò verò ad ordinationem par. 5. recent.* Ij siquidem produunt, non modo Theodorum ab Apostolo